



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 7. De voluntario Mixto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

non est ut jurisdictio antecedar, sed sufficit, si præsumatur recte consensus illius, qui jurisdictionem concedere poterat; dummodo lege positiva hic operandi modus non fuerit prohibitus, nam in eo casu, de quo loquimur,

illa præsumptio excusaret à malitia, quæ in ejusmodi actu poterat intervenire: ex quo assertio nostra potius roboratur.

Vide à n. 203.

DISPUTATIO VII.

DE VOLUNTARIO MIXTO.

215. Voluntarium mixtum dicitur illud obiectum, circa quod tendit voluntas cum volitione simul, & nolitione, ita ut si nolitio sit efficax, & volitio inefficax, dicatur simpliciter involuntarium, & secundum quid voluntarium. Si verò volitio, à qua obiectum procedit, sit efficax, nolitio verò inefficax, erit simpliciter voluntarium, & involuntarium secundum quid, juxta dicta n. 31. & 36. Causæ, ex quibus obiectum simpliciter voluntarium, solet esse secundum quid involuntarium, quatuor communiter assignantur: nempe vis, metus, concupiscentia, & ignorantia, ex dictis num. 46. Ibiq; etiam num. 47. notavimus, posse etiam ex iis causis procedere purum voluntarium; nec teneri voluntatem nolitionem elicere, qua fiat voluntarium mixtum; quando nimirum voluntas operatur juxta conformitatem cum illis motivis, & non juxta deformitatem: sic ex motivo metus in casu appposito eo num. 47. operatur ægrotus omnino voluntariè: sic etiam ex concupiscentia operatur omnino voluntariè ille, qui nullum contrarium actum elicit illi motivo; quod idem est de vi exteriori adveniente, & ignorantia, si juxta conformitatem cum illis motivis aliquis pure operetur. Cæterum, quia communiter solent admisceri actus contrarii sive deliberati, sive indeliberati, atque à communiter contingebat habere soleant originem plura proloquia, exinde apud Theologos dici solet, metum, vim, ignorantiam, & concupiscentiam causare involuntarium saltem secundum quid. Verum, ut hæc omnia clariora fiant, sit

SECTIO I.

Quomodo vis, metus, ignorantia, & concupiscentia causent involuntarium?

216. Affero 1. cum communi sententia: actiones liberæ ex allatis motivis voluntariè factæ aliquando sunt secundum quid involuntariæ ex perfectione: aliquando verò ex imperfectione cognitionis: quo in sensu causant voluntarium mixtum. Prob. 1. Sæpe voluntas timet, & renuit actionem aliquam liberam elicere, quia non repræsentatur in obiecto tanta bonitas, quæ in illius amplexione rationem timendi, atque fugiendi non relinquat, ut experientiâ constat: aliquando verò cognitio ita perfecta est, ut cognoscatur obiectum concu-

piscibile, reverà esse magnum malum, ex quo voluntas licet inefficaciter, illud refugit, at homo ex sua fragilitate, & passione obiectum illud amplectitur: sed in eo stat, quod illa motiva causent voluntarium secundum quid, si ve voluntarium mixtum, aliquando ex perfectione, aliquando verò ex imperfectione cognitionis; ergo &c.

217. Prob. 2. Voluntas ex eo tendit involuntariè in obiectum, si ex eo obiectum est involuntarium secundum quid, quia obiectum ipsi repræsentatur malum: atqui, quod repræsentatur malum, provenit aliquando ex imperfectione cognitionis, ut contingere solet, quando committit peccatum: aliquando verò provenit ex perfectione cognitionis, ut contingit, quando cognoscendò rectè rem delectabilem non prohibitam. quæ ex se voluntatem allucit, & ad aliquem affectum inducit; voluntas verò ex amore mortificationis eam libere respuit; quod suo modo contingit, quando obiectum est simpliciter involuntarium, & secundum quid voluntarium, atque cum actu opposito constituit voluntarium; ergo ex iis motivis voluntarium mixtum aliquando habetur ex perfectione, & aliquando ex imperfectione cognitionis.

218. Affer. 2. Quando voluntas operatur simpliciter juxta ea motiva, & contra illa secundum quid, non æquè se habet ad causandum voluntarium. Prob. 1. Concupiscentiæ motivum per se, si ve immediatè, & ratione sui tendit ad bonum propositum ut bonum, causatque effectum suavem, & dulcem, ut experientiâ constat: metus verò sæpe sæpius proponit obiectum ut magnum malum, quod efficaciter amplecti solet voluntas, vel ad majus malum vitandū, vel ad rectè honestèq; operandum; ideoq; non causat effectum adeo suavem, ac concupiscentia: quod etiam sæpe contingit in motivis ignorantie, & coactionis; atqui ex eo, quod voluntas ita diversè operetur ex illis motivis, non æquè se habet ad causandum voluntarium; ergo &c. Prob. min. Obiectum concupiscentiæ, eo quod ita proponatur, non solum apparet ut bonum, sed etiam ut delectabile, quo non ita ex necessitate apparent alia motiva, quæ sæpe sæpius apparent valde ardua, eaque de causa voluntas non propter delectabilitatem, sed pure ad fugiendum majus malum, vel ad se conformandum cum divina lege complectitur illa: sed in hoc stat, quod non æquè causent voluntarium; ergo &c.

Prob. 2.

Prob. 2. Major resistētia requiritur in voluntate ad repellenda, & contemnenda motiva concupiscentiæ, quàm ad depellenda motiva conducentia ad metum, vim, atque ignorantiam: ista enim ex se retrahunt frequentissimè: illud verò ex se attrahit: sed motiva, quæ retrahunt, & motivum, quod attrahit, diversimodè concurrunt ad causandum voluntarium, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c. Conf. Motivum concupiscentiæ sæpe solet augere voluntarium quoad inclinationem voluntatis, licet illud minuat quoad rationem liberi in ordine ad depellendum suum objectum, non minùs, quàm motiva, quæ præferunt vis, metus, & ignorantia, soleant diminuire voluntarium simul, & liberum: sed exinde non æquè se habent ad causandum voluntarium; ergo &c. Ex dictis

220. Fit 1. Actiones ex metu factas contra legem non excusare à peccato, cum liberè sunt, etsi peccatum quandoque diminuunt, propter diminutionem libertatis. Quapropter contractus ex metu gravi celebrati non sunt invalidi jure naturæ; non enim requiritur jure naturæ major libertas ad verè contrahendum, quàm ad lethaliter peccandum: sed in actionibus, quæ fiunt ex metu, reperitur sufficiens libertas ad lethaliter peccandum: ut patet in illo, qui ex metu gravissimi mali odeb haberet Deum: vel restem falsitatis appellaret: vel turpiter cum aliena communicaret: vel ob timorem tyranni negaret fidem, & sic de millenis aliis; ergo etiam sufficiet jure naturæ ad contrahendum. Ita communiter DD. in Tract. de Contractibus.

221. Cæterum jure positivo, plures contractus facti ex timore gravi injustè incusso, sunt ipso facto irriti. Sic contractus matrimonii factus ex metu gravi injustè incusso ad ipsius celebrationem irritatur ipso facto jure positivo, Capit. *vehemens causa cū locum*, & Capit. *consultationum de sponsalibus*: & Capit. *nuptiis*, & Capit. *liberum* 31. quæst. 2. & Textu in Capit. *significari* de eo, qui duxit in matrimonium. Pariter irritatur ipso facto votum solemne (idem aliqui extendunt ad votum simplex) ut deciditur Capit. *Perlatum* eodem titulo, Capit. *cum locum* de Sponsalibus. Can. *Notificatio* 35. quæst. 5. & quidem, ut notavit Card. Sfortia, oportuit, ut contractus illi facti ex metu gravi injustè incusso, sint irriti ipso facto: nam si à principio essent validi, non possent matrimonium, aut religiosa professio, postea irritari; utque exinde cogeretur injuriam passus stare contractui per injuriam extorto.

222. Alii verò sunt contractus, qui nō sunt ipso facto irriti, sed irritandi, & rescindendi, ut constat ex tit. de iis, quæ metus causā fiunt: ex pluribus capitib⁹ Utriusq; Jur. Ex allata doctrina explicandus est Textus in Capit. *cum locum* de Sponsalibus, ubi dicitur, matrimonium metu factum esse nullum; quia non habet locum consensus, ubi metus, vel actio intercedit: etenim, ut patet ex dictis, non potest esse sensus, quod nul-

lus consensus ex se, & jure naturæ sufficiens ad contractum, non habeat locum in casu metus; sed sensus est; non habere locum consensus, ita firmum, & ratum, ut non possint ab ipso consentiente pro libito suo non revocari, vel quod revocari non debeat, juxta superius dicta, ne pariat obligationem perpetuam, & ab ipso consentiente irrevocabilem. Ratio est, quia talis consentiens dignus est, qui in primum statum restituatur, ut possit injuriam repellere, qui ex metu injustè incusso coactus est ad consentiendum. Proinde, quando in capit. *maiores* §. Item quærit. de Baptismo dicitur: is, qui terroribus, atque suppliciis violenter trahitur ad Baptismum tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. Per illa verba licet absolute non velit, non significatur ipsum nolle absolute Baptismum, sed nolle illas circumstantias voluntiæ, quibus positus absolute vult Baptismum; ideoque justè obligatur ad observantiam legis Christianæ, qui autem conditionaliter vult, idem posita ea conditione vult absolute. Pariter, quando Aristotel. 3. Eth. c. 1. ait: Nemo enim spontè absolute suā abdicat, sed ob salutem tuam suam, tum aliorum, solum significat nullum velle veram projectionem, quin aliqua bonitas in illa ipsi proponatur, quod verum est.

Fit 2. Circa motivum concupiscentiæ facile posse conciliari ex doctrina nostra superius allata testimonia D. Thomæ quoad speciem opposita: ait enim 1. 2. quæst. 6. art. 6. in corp. concupiscentiam non causare involuntarium, sed magis facere aliquid voluntarium. Et q. 77. art. 6. in corp. docet, passionem minuere peccatum, in quantum minuit voluntarium. Hæc enim testimonia juxta nostram sententiam facile conciliantur, dicendo concupiscentiam facere opus magis voluntarium quoad intensionem actus, ejusque inclinationem in objectum. Passionem verò non minuit ejusmodi voluntarium, sed minuere voluntarium quoad libertatem. Quia ratione actus est minùs imputabilis voluntati, & magis imputabilis principiis impellentibus, exindeque peccatum reverà minuit. Eodem sensu potest minui voluntarium in actibus virtutis ratione habituum adquirentium inclinationem ad bonum, quin exinde homo patitur detrimentum: quia eadem diminutio ex alio titulo maxime opere compensatur. 1. Quia actus & cilius, & frequentius fit. 2. Quia est liber non solum in se, sed etiam in causa. 3. Quia fieri solet cum majori intensione. 4. Quia voluntas prævenit eo habitu, si adveniat concupiscentia æquè inclinans ad oppositum, habet jam, unde concupiscentiæ resistat, quod quidem principium resistens non haberet, si caret eo habitu.

Fit 3. Circa motivum ignorantie delictum esse doctrinam ex ea, quam hucusque dedimus. Ratio est, quia si ignorantia sit involuntaria, non potest esse sensus, quod nul-

cibilis, nequaquam potest causare voluntarium, aut involuntarium quoad circumstantiam invincibiliter ignoram. Si verò sit vincibilis, vel versatur, quoad præsens attinet, circa motivum metus, aut violentiæ, aut concupiscentiæ. Quomodoque res se habeat, dicendum est, quod supra diximus, speciatim agendò de ignorantia, atque de illis motivis. Reliqua verò, quæ ad ignorantiam peculiariter pertinent, latè dedimus à n. 71.

215. Fit 4. Circa motivum violentiæ, vim non impedire voluntarietatem actus interni, qui elicitur; cum voluntas non possit vellet obiectum, atque illud per volitionem suam inducere, quin sit illi voluntarium. Quæ est ratio, propter quam docent communiter Theologi, non posse Deum inferre violentiâ voluntati, saltem simpliciter quantum ad actum, qui elicitur. An verò possit Deus inferre voluntati violentiam in privatione actus, quæstio est hinc inde exagitata. Negant plures Thomistæ cum Goner: affirmant & quidem restituti alii cum Contenton, pluresque nostri cum Exim. Doctore. Ratio sententiæ negantis est, quia voluntas, & quævis alia creatura habet naturalem propensionem, & exigentiam, ut potius obediat Deo, quam ut habeat terminum, quem naturaliter exigit, quando est determinata in actu primo ex parte rerum creaturarum ad suum actum; ac proinde, licet voluntas in eo casu naturaliter exigit actum, exigit magis carere actu, si Deus velit illam eo actu carere, quandoquidem hæc inclinatio, & exigentia naturalis ad obediendum Deo, est in voluntate, & quævis alia creatura, præcipua illius inclinatio; proindeque nunquam potest creatura à Deo violentiam pati: quantumvis Deus de creatura, & in creatura faciat, quidquid voluerit. Nihilominus pro majori claritate, & resolutione hujus dubii

216. Affero 3. cū secunda sententia. Deus potest inferre violentiâ voluntati in privatione sui actus. Prob. 1. Conclusio destruendò præcipuū adversariorum fundamentum. Quando voluntas est determinata in actu primo ex parte rerum creaturarum ad suum actum, naturaliter actum exigit: ad eum planè modum, quo materia prima instructa dispositionibus ad formam ignis, exigit naturaliter formam ignis: atqui Deus in eo casu inferret violentiam materiæ primæ, si illam privaret formâ ignis; ergo in nostro casu inferret violentiam voluntati, si privaret illam suo actu. Prob. min. neq; in voluntate, neq; in quævis alia creatura datur naturalis exigentia ad obediendum Deo contra naturalem voluntatis, aut creaturæ inclinationem, sed solum datur capacitas obediencialis, ut Deus illam impediat contra naturalem propensionem ipsius; capacitas autem obediencialis nequaquam est exigentia; aliter homo habens capacitem obediencialem ad visionem beatificam, haberet naturalem exigentiam ad illam; atq; humanitas Christi habens capacitem obediencialem ad unionem hypostaticam, haberet exigentiam ad illam, quæ planè forent absurda; ergo &c.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

Prob. 2. ex D. Thomæ quæst. 6. de Potentia art. 2. ad 3. ubi hæc habet: Circa ea, quæ Deus miraculosè facit, talis solet adhiberi distinctio, quòd quædam dicuntur fieri supra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit: sicut, quando conservavit pueros illæfos in camino, remanente virtute comburendi in igne, & quando aqua Jordanis stetit remanente gravitate in ea. Modò sic, juxta doctrinam D. Thomæ Deus fecit violentiam igni, sive quod idem est, egit contra ignis naturam, & exigentiam in camino; fecitque pariter contra naturam aquæ in fluvio Jordane: atqui, si creatura non solum haberent capacitem obediencialem ad obediendum Deo contra suam propensionem, sed etiam exigentiam, Deus in illis casibus non fecisset contra naturas ignis, & aquæ; ergo &c. Conf. Dona superna sunt supra conditionem naturæ, ideoque illius connexionem excedunt, ut constat à num. 58. de Beatitudine. Atqui, si potentia obediencialis esset exigentia, & connexio, dona supernaturalia non excederent conditionem, & connexionem naturæ; quandoquidem potentia obediencialis est connaturalis, & identificata cum ipsa natura; ergo &c.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

Obbjc. 1. contra primam assertionem. Ut aliqua actio, quæ est simpliciter voluntaria, sit secundum quid involuntaria, nulla prorsus requiritur cognitio, aut perfecta, aut imperfecta; ergo voluntarium mixtum, quod datur in actionibus simpliciter voluntariis, neq; provenit ex perfectione, neque ex imperfectione cognitionis. Prob. ant. Ut actio, quæ est simpliciter naturalis, sit secundum quid violenta, non requiritur cognitio perfecta, aut imperfecta ad secundum, sive ad oppositum actum; ergo neque, ut actio liberè facta ex metu, quæ est simpliciter voluntaria, sit secundum quid involuntaria, requireretur cognitio aut perfecta, aut imperfecta ad secundum actum, neque requireretur secundus actus oppositus primo. Consequentia tener, quia metus est quædam violentia moralis, ideoque, qui allegant præcisè aliquid ex gravi metu, violentiam allegant. Probat. jam antecedens in motu progressivo animalis, ubi elevatio pedis est violenta illi corpori, in quantum gravi, & est simpliciter naturalis eidem ut viventi, quin ibi sit duplex actus, seu motus, sed tantum unus, quo animal movetur; ergo &c.

Resp. neg. ant. ad probat. C. ant. & neg. conf. & paritatem. Ratio est, quia violentum non respicit actum, sed potentiam, virtutem, aut inclinationem naturalem: nō enim est contra appetitum elicatum, sed contra appetitum innatum, qui stat in ipsa natura causæ appetentis: at vo-

Ccc

luq.

luntarium, & involuntarium talia dicuntur ratione actus, respiciuntque actum elicatum; unde licet non requiratur duplex actus, ut aliqua actio dicatur mixta ex naturali, & violenta, requireretur necessarii duplex actus, ut dicatur mixta ex voluntario, & involuntario. Quinimodò exinde redarguendi sunt adversarii; nam ex eo, quod violentum respiciat inclinationem innatam, nequit dari actio mixta ex naturali, & violento, quin sit contra unam, & juxta aliam inclinationem innatam, ut ex ipso argumento constat; ergo ex eo, quod voluntarium respiciat appetitum elicatum, nequit eadem res esse voluntaria, & involuntaria, sive mixta ex voluntario, & involuntario, quin sit contra unam, & juxta aliam inclinationem elicatam.

230. Objic. 2. contra secundam assertionem. Sicut operatio facta ex metu procedit à volitione efficaci voluntatis, & nihilominus terminat aliam volitionem contrariam, sive displicentiam inefficacem, ita etiam operatio facta ex concupiscentia, licet procedat à volitione efficaci voluntatis, potest etiam terminare aliam volitionem contrariam, sive displicentiam inefficacem; atqui operatio facta ex metu, eo quod terminet illam duplicem volitionem contrariam, est secundum quid involuntaria: ergo etiam operatio facta ex concupiscentia, eo quod terminet illam duplicem volitionem contrariam, erit secundum quid involuntaria; ac proinde concupiscentia, & metus aequaliter se habent in ordine ad causandum involuntarium. Resp. neg. ly *sicut*, quod ponitur in majori propositione, ex quo tota argumenti vis evanescit: concupiscentia quidem, & metus diversimodè se habent; estque multiplex discriminis ratio in ordine ad causandum involuntarium.

231. Prima discriminis ratio est; quia concupiscentia per se, & immediatè non potest causare illam displicentiam; quandoquidè ille, qui ex concupiscentia eligit, eligit quidem inter bona, quorum similitudo repugnat. Unde sicut illa similitudo nequit cadere in desiderium rationabile, utpote impossibile, & chymærica: ita nec ejus carentia potest esse rationabilis materia doloris: ac proinde, qui sic operatur, non habet unde immediatè doleat ex vi operationis. At verò metus per se, & immediatè non excludit causare illam displicentiam, sed solum per accidens, quando nimirum medium non est acceptum: nam qui ex metu communiter eligit (quo in sensu est quaestio, & in quo discrimen assignamus) eligit inter mala, quorum similitudo vitari poterat, & saepius utriusque vitatio debebatur; ac proinde debebatur vitatio illius electionis ex metu; proindeque non est mirum, quod exerceatur dolenter, & amarè, in quo est prima disparitatis ratio.

232. Secunda discriminis ratio est, quia operatio concupiscentiae ratione sui, & ut cadit in ipsam, nequit esse directè displicens; nam operatio de bono, ut bono, displicere non potest.

At operatio ex metu, ratione sui, & ut cadit in ipsum, per se displicet; quia amplexus mali, ut respectivè hic, & nunc boni pro avertendo majore malo, fit cum cognitione nocivi, quod voluntas amplectitur ad majus malum vitandum. Proinde cum ea cognitio immediatè, & directè proponat malum, fieri potest cum displicentia operationis; atque ita causare potest amaritudinem, quam ratione sui in sua operatione concupiscentia non causet; unde clare constat concupiscentiam in ordine ad suam operationem, non se habere sicut metus in ordine ad suam.

Tertia diversitatis ratio est, quia concupiscentia immediatè per se, & ratione sui inclinat ad bonum: metus verò immediatè ratione sui inclinare potest, & saepius inclinat ad malum. Concupiscentia immediatè tendit ad promotionem boni praëxistentis: metus verò saepe tendit ad jacturam boni praëxistentis, ut contingit, quando tendit ad tollendam vitam, honorem, famam, vel divitias, si operatio praëcepta non fiat. Exinde tota inclinatio, quam experimur in concupiscentia, provenit ab extrinseco jucundo, & grato; ideoque affectio manet dulcis, & grata. Inclinatio verò, quam experimur in metu, saepissime provenit ab extrinseco arduo, & molesto; ideoque oritur affectus acerbus, & amarus; quisque enim cum gaudio bonum promoveret, atque cum amaritudine bonum amitteret. Quo planè fit, ut concupiscentia per se, & immediatè, non possit causare involuntarium: bene verò metus. Videatur Suarez disp. 3. sect. 4.

Objic. 3. & praecipue contra illationes. Actio ex metu, aut concupiscentia facta, est magis à voluntate; ergo est magis libera; proindeque ex illis motivis peccatum non minuitur; neque ratione meritis rescindendi sunt contractus, quatenus cum diminutione libertatis facti, sed ex alio motivo, quod habuit Legislator. Prob. ant. Actio ex metu facta, aut ex concupiscentia, solet esse magis intensa: ergo & est magis à voluntate.

Resp. neg. antecedens; ad probationem conc. ant. & neg. consequent. Quia illa major intensio provenit non solum à voluntate agente, sed à principiis extrinsecis impellentibus ad agendum, & quasi rapientibus voluntatem, ut agat: sicque minus de se fertur voluntas cæteris paribus; passio enim non est potentia volitiva, sed trahit potentiam volitivam; ita, ut si concupiscentia sit valde intensa non solum media cognitione, sed etiam quasi sympathice trahatur ad objectum, auferendò saepe voluntatis arbitrium, & semper diminuendò libertatem.

Quapropter, si cætera sint paria actus magis liber, est magis voluntarius; proindeque actus liber est magis voluntarius cæteris paribus, quam actus necessarius ex imperfectione cognitionis ex num. 60. Ratio est, quia quando ex imperfectione cognitionis voluntas

tas necessitatur ad amandam bonitatem v. g. ut quatuor (idem suo modo de libertatis diminutione) ideo est, quia per illam imperfectam cognitionem repræsentatur bonitas ut quatuor cum exclusione omnis malitiæ; quatenus nimirum non repræsentatur malitia latens in objecto: at per cognitionem perfectiorem constituentem libertatem repræsentatur etiam malitia retrahens, atque bonitas ut quatuor alliciens: quod planè requiritur, ut in bonitate repearsentata sint cætera paria. Tunc quidem quantum additur de necessitate respectu voluntatis, vel de malitia latente, tantum detrahatur libertati: quantum verò superadditur cognitionis, tantum libertatis superadditur: simulque detrahatur principium necessitans, quo fit, ut ea operatio in eo casu sit magis à voluntate, quæ non solum per suam inclinationem, & vehementiam objectum amplectitur, sed etiam contrariis resistit, ne objectum amitrat. Ideoq; augetur meritum, quod ratione arduitaris incrementum habet. Unde si cætera non sint paria, nullam possumus pro iis voluntarii regulam generalem designare, sed videndum est, an id, in quo unum aliud superat, sit majus eo, in quo superatur.

236. Objic. 4. contra tertiam assertionem. Voluntas creata non exigit operari Deo negante illi concursum ad operandum; ergo nequit pati violentiam à Deo in negatione amoris, quamvis sit in actu primo determinata ad amorem. Confirm. 1. Non minus est necessarius voluntari concursus Dei ad eliciendum amorem, quam necessaria sit propositio objecti amandi: atqui voluntas non exigit amare objectum non propositum; ergo neque exigit elicere amorem, ad quem non habet concursum Dei. Confirm. 2. Quando privatio operationis est conformis principaliori exigentiæ voluntatis, non est violenta voluntati, saltem simpliciter: sicut elevatio pedis consentanea principaliori exigentiæ viventis, non est simpliciter violenta pedi: atqui principalior exigentiæ voluntatis est obedire Deo in cuiusvis operationis privatione, vel positione: ergo nunquam potest pati violentiam à Deo.

237. Resp. dist. ant. Non exigit operari modo chymico, conc. modo possibili, neg. ant. & conseq. Quia voluntas, quando est in actu primo determinata ad amorem, non exigit componere amorem cum carentia concursus divini: sed potius exigit divinum concursum ad eliciendum amorem; & proindeque manet violentia negato amore, & concursu ad amorem. Ad primam confirmationem conc. maj. & dist. min. non exigit amare, si exigit propositionem objecti ad amandum, & ad eliciendum hic, & nunc amorem, neg. si non exigit, conc. min. & neg. conseq. Quia in calu nostro loquimur, quando datur exigentiæ ad effectum ex parte causæ secundæ. Ad secundam confirmationem conc. maj. & neg. min. Quia voluntas non habet exigentiæ o-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

bediendi Deo contra naturalem ipsius inclinationem, sed habet capacitatem obedientialem, qua Deus contra voluntatis exigentiā potest illa uti, ut voluerit; non minus, quam artifex utatur instrumento suo: capacitas autem obedientialis non est exigentiā, ut constar à num. 226.

Objic. 5. Ex doctrina Div. Thomæ 1. Part. 238. q. 60. art. 5. Quod est alterius, majorem habet inclinationem in id, cuius est, quam in bonum proprium: sic manus se ipsam naturaliter exponit ictui ad conservationem totius corporis, & civis virtuosus se ipsum exponit periculo mortis pro Reip. conservatione: atqui voluntas creata, & quælibet creatura est pars universi, & aliquid Dei; ergo majorem habet inclinationem ad bonum universi, & ad obediendum Deo, quam ad bonum sibi proprium, & conveniens; proindeque nunquam poterit pati violentiam à Deo. Conf. 1. Omnis creatura magis inclinat innatè in finem, quam in media: opposita enim inclinatio, cum esset inordinata, non posset esse à Deo creaturæ impressa, sed bonum universi, & bonum divinum sunt finis bonorum particularium; ergo omnis creatura, & proinde creata voluntas magis inclinat ad obediendum Deo, quam ad bonum suum particulare. Conf. 2. ex Augustino lib. 26. contra Faustum cap. 3. dicente: *Deus creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit: id enim est cuius, naturale, quod ille facit, à quo est omnis numerus, motus, & ordo naturæ; ergo &c.*

Conf. 3. ex D. Th. 3. contra Gentes c. 3. dicente: *Motus, qui sunt in istis inferioribus corporibus ex impressione superiorum non sunt violenti, neque contra naturam, quamvis non videantur convenientes motui naturali, quem corpus inferius habet secundum proprietatem suæ formæ: non enim dicimus, quod fluxus, & refluxus maris sit motus violentus, cum sit ex impressione celestis corporis; licet naturalis motus aque sit solum ad unam partem, scilicet ad medium: multo igitur magis quidquid a Deo fit in qualibet creatura, non potest dici violentum, neque contra naturam.* Et quæst. 1. de Potentia art. 2. ad 1. *Omnes creatura quasi pro naturali habent, quod à Deo in eis fit: & propter hoc in eis distinguitur potentia duplex, una naturalis ad proprias operationes, & motus; & alia, quæ obedientia dicitur ad ea, quæ à Deo recipiunt; ergo &c.*

Resp. dist. maj. Majorem inclinationem innatam, neg. rationalem elicitam, conc. maj. & dist. min. Aliquid Dei per productionem, subjectionem, & potentiam obedientialem, atq; rationalem appetitum elicitem conc. per appetitum innatum, aut naturalem exigentiā, neg. min. & conf. Quia subordinatio voluntatis ad Deum consistit in potentia obedientiali, ut Deus in illa, & cum illa faciat, quidquid voluerit; quæ obedientialis potentia non est appetitus innatus, ut supra diximus. Insuper voluntas rationabiliter operans tenetur se D E O conformare adhuc

adhuc contra appetitum suum innatum per appetitum elicatum: quo in sensu dicitur operatio conformis elicite inclinationi voluntatis naturali: non verò exigentiae innatae; unde naturale sumitur, quatenus id est conforme, & non difforme naturae ut rationali. Exinde neque manus, neque civis in Rep. se exponunt periculo in argumento tacto; ex appetitum innato; sed ex elicto. Quod exinde manifeste patet; quia pueri, aut cives dormientes, non advertentes ictum, aut periculum non apponunt manum, neque se exponunt periculo; quia ea appositio non est ex inclinatione innata, sed ex elicita ab intellectu regulata ex intentione vitandi inajus malum, licet quis violententer patiatur minus.

241. Ad primam confirmationem dist. maj. magis inclinatur innatè in finem, quam in media per media, quae innatè exigit, conc. per illa, quae innatè non exigit, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia inclinatio innata in media est propter finem, & non econtra: at ubi non datur inclinatio innata in media, non datur major inclinatio innata in finem respectivè ad illa media, cum inclinatio major talis sit respectivè ad minorem. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. cons. Quia Augustinus ibi hominem naturae, non intelligit naturam creatam particularem, quam Philosophi vocant naturam naturatam; sed naturam universalem, sive naturam divinam, quam naturam naturantem vocant Philosophi, cui conforme est, quicquid Deo auctore fit. Atque in eo sensu dicitur unicuique rei naturale, prout procedit ab auctore suae naturae, cum cujus decreto, & lege conformatur, non verò est naturale in sensu, in quo disputamus, cum procedat à Deo contra naturalem appetitum innatum particularis naturae. Sumendo quippe naturale in hoc sensu, planè fateretur Augustinus in eodem Capit. Deum quandoque operari contra naturam.

242. En Augustini verba: *Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum, solitumque naturae, contra quem Deus, cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. Contra illam verò sumam naturae legem à notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* En quomodo Augustinus sumit in eo Cap. dupliciter ly naturae, sive naturae auctori: vel prout est conforme naturae particulari. In primo sensu negat Deum violentiam inferre, dum ipso auctore causatur aliquid in creatura. In secundo verò sensu, de quo est nostra quaestio, concedit Augustinus, Deum agere contra naturam: proindeque inferre violentiam creaturae. Exinde ad tertiam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. Quia D. Thomas in illis testimoniis sumit etiam naturale dupliciter, sicut sumebat

Augustinus. Atque in primo sensu negat, sicut & Augustinus negavit, Deum agere contra naturam. In secundo verò sensu id planè concedit, ut constat ex num. 227.

Objic. 6. Non minorem exigentiam naturalem habent creaturae ad se conformandum cum voluntate Dei, quam haecant ad consulendum utilitati universi: atqui ratione exigentiae, quam habent ad consulendum utilitati universi non possunt pati violentiam in motibus contrariis earum naturis particulatibus, ut patet in aqua ascendente sursum, contra suam exigentiam particularem, & absque ulla violentia ad implendum vacuum; ergo neque poterunt pati violentiam in motibus à Deo acceptis. Resp. neg. Duplex suppositum majoris: nempe quod creaturae habeant exigentiam naturalem ad se conformandum cum voluntate Dei, quando agit contra particularem appetitum innatum creaturarum; & quod illam habeant ad consulendum bono universi. Aqua enim non ascendit sursum, absque ulla violentia ad implendum vacuum; ille namque altius est aquae violentus. Habet autem aqua capacitatem, ut trahatur, prout tunc trahitur, vel a solo Deo ut auctore naturae, ad exigentiam causarum naturalium, quae exigunt suam naturalem conservationem, à celesti influxu pendente, cuius influxus participes esse non possunt stante vacuo, ut plurimi docent in Philosophia; vel trahitur ab alio corpore, quod inde aufertur, & debet occupare novum locum, vel ab impulsu, quo aqua descenderat, non permittente ex resiliencia quietam aquae desolam: ad eum modum, quo, quando quis movetur, pellit aërem ad implendum locum, quem movens deserit: vel ad eum modum, quo creatura exigens suam conservationem in defectu causae secundae exigit concursum auctoris naturae, de quo late disputant Philosophi, amplectendo jam unam, jam alteram ex relatis opinionibus. Quomocunque res se habeat, nunquam fit contra innatum creaturae appetitum, quin violententer fiat. Exinde

Fit 1. Violentum ex Aristotele 3. Eth. c. 1. esse: quod est ab extrinseco, passio non conferente vim: quae verba intelligenda sunt contrariè: id est passio resistente, ut constat ex aliis testimoniis, quae ex Aristotele asserit Ex. Doct. disp. 2. sect. 1. Proinde violentum iuxta mentem Aristotelis erit: quod est à principio extrinseco passio resistente per inclinationem innatam. Distinguitur enim violentum à coacto: quia coactum resistit per inclinationem elicitam modo, quo diximus de involuntario simpliciter, & involuntario secundum quid à num. 31. Dicendum est de violento, simpliciter, & de violento secundum quid, calu, quo contingat actionem aliquam, vel imitationem esse consentaneam alicui innato appetitui naturae, & repugnantem alteri.

Quando verò in simili casu actio esset consentanea

nea potissimæ inclinationi, & dissentanea inclinationi inferiori, diceretur simpliciter naturalis, & secundum quid violenta: e contra, quando esset dissentanea inclinationi potissimæ, & consentanea inclinationi inferiori, diceretur simpliciter violenta, & secundum quid naturalis. Qua de causa motus hominis progressivus, qui ex parte repugnat homini ut gravi, & corporeo, est secundum quid violentus: at quia est consentaneus inclinationi potiori viventis, & animalis, dicitur simpliciter naturalis. Pariter quando materia prima disposita ad formam cadavericam admittit illam, & amittit formam rationalem, destructio suppositi rationalis dicitur simpliciter violenta, cum supposito, quod est potissimum, violenta sit; licet dicatur naturalis secundum quid respectu materiae primæ ad alteram formam contrariam dispositæ.

246. Fit 2. Non solum dari motum naturalem, & violentum, sed etiam motum medium, qui neuter, seu præternaturalis dici solet. Ratio est, quia datur motus citra exigentiam, aut juxta exigentiam passivi, si sit juxta, dicitur naturalis: si citra dicitur præternaturalis, qualis dici solet motus lucis in aëre. Videatur Exim. Doct. disp. 2. de Voluntario, & Arriaga disp. 9. sect. 1. Fit 3. Coactum non solum distingui à violento, sed etiam ab involuntario; quod

notare oportet ad plures quæstiones morales dissolvendas. Præcipuum autem inter utrumque discrimen stat in eo, quod ad involuntarium simpliciter dictum, sufficit, quod aliquid fiat contra voluntatem alterius efficacem quoad affectum; licet ista volitio non excludat permissionem ex num. 36. Ad coactum verò requiritur, quod aliquid fiat contra volitionem ita efficacem quoad affectum, ut quantum est ex se, excludat etiam permissionem effectus.

Fit 4. Molestum, prout hic sumitur à Theologis, convenire cum coacto, & invito, solumque distingui ab illis, prout addit aliquam tristitiam, arduum, aut dolorem. Unde involuntarium, coactum, invitum, & molestum opponuntur voluntario. Necessarium verò ab iis distinguitur quasi genus à speciebus; significat enim determinationem ad unum absque indifferentia ad oppositum, & hoc modo reperiri potest necessitas in motu naturali, violento, involuntario, coacto, invito, & molesto; siquidem potest esse necessitas ab intrinseco, & ab extrinseco, atque ad illam potest interdum passum conferre vim, interdum non conferre, interdum verò repugnare. Quid autem requiratur ad veram rationem liberi, ut contradistincti ab aliis voluntariis speciebus, dicemus statim.

* *

DISPUTATIO VIII.

DE VOLUNTARIO LIBERO SECUNDUM SE CONSIDERATO.

SECTIO I.

De Prærequisitis ad Controversiam.

247. A Gimus in præsentia de libertate à necessitate, à qua actus humani denominationem suscipiunt ratione dominii voluntatis, ex n. 7. de ultimo fine. Proinde libertas à necessitate stat in dominio voluntatis ad utrumque, adeoque distinguitur à libertate à servitute, atque à libertate à coactione. Libertas enim à servitute est libertas gratiæ, ratione cujus extrahimur à servitute peccati: ut ait Christus Joann. 8. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Qui autem justificatur, ratione gratiæ justificantis extrahitur ab hac servitute, & reducitur ad libertatem filiorum Dei.* Hanc autem libertatem amisimus per peccatum; atque de ea intelligendi sunt SS. PP. dum dicunt: *peccando amissam esse libertatem.* Libertas à coactione est voluntarietas, atque spontaneitas, quæ ut constat ex dictis, cum absoluta necessitate possunt componi. Libertas verò à necessitate est illa, quæ requiritur ad moralitatem, meritum, & demeritum, laudem nostram, aut vituperium, præmium, aut poenam. In hac autem prima disputatione quaeremus, quodnam sit metaphysicum hujus libertatis constitutum, ut postea ad alias difficultates circa libertatem in actu primo, atque circa libertatem in actu secundo facilius progrediamur.

Libertatem à necessitate negarunt in hominibus antiquiores hæretici, ut Simon Magus, & Manichæi, quos ex hæreticis recentioribus secuti VViclefus, Lutherus, & Calvinus, quamquam Lutherus pro more suo semper inconstans eam postea concesserit saltem in multis articulis. Videantur Tamnerus disp. 2. quæst. 1. dub. 1. Bellarm. de Gratia, & lib. arb. c. 1. & 4. Exim. Doct. Proleg. 1. de Gratia c. 2. & disp. 1. de Volunt. seæ. 2. Ubi quatuor errores distinguit circa modum, unde necessitari possit voluntas, ex quibus processere quatuor hæreticorum classes, rationali creaturæ libertatem à necessitate adimementes.

Prima hæreticorum classis est eorum, qui docebant, creatam libertatem nequaquam posse cum divina præscientia componi; proindeque ut Deo præscientiam futurorum concederent, libertatem à necessitate creaturæ denegarunt. In hac classe reponit Exim. Doct. ex Augustino lib. 5. de Civit. c. 9. & 10. Stoicos, quibus adjungi possunt Bardesanes, Marcion, Prifullianus, Abailardus, VViclefus, atq; Tullius. Marcion enim, Abailardus, & VViclefus

Ccc 3

ita